Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32271
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

unda perfusus. et a religiosis latenter inde sublatus. Sic mar
delatus ad fontem qui extra publicum campum est et ibi in parua
cellula tectus sepultus. semper tamen uirtutibus se publicauit. ita ut
gentilibus stupentibus; mira dona in honore maximo sa-
nitatum in illis temporibus haberet. non longe a basilica sua que
studio summi antistitis nostri celsum protulit edificata
fastigium. fulget non minus sed ornata priuilegio patroni nostri
simphoriani recepta uirtutibus. qui post uolantis uite naufra-
gia dum de te diabole triumpharet. exclusit defensor pa-
trie sue. dum aduersam patriam festinaret. Apparuit turris for-
titudinis contra faciem aduersantis inimici sanguinis sui effu-
sione edificauit. inexpugnabili muro auxilium corporis
sui pennis patrocinium mediator attollit. innumeras
curationes martyrum suorum uirtute disseminans. per ipsum nobis
apud dominum nostrum ihesum christum. eius demum misericordie pandetur uia. et in
omnium uotorum plenitudine felix aperiatur ingressus. per ipsum
dominum nostrum ihesum christum. qui est uita omnium sine fine seculorum et regnat
cum patre in unitate spiritus sancti nunc et semper et per infinita secula seculorum. amen.

Passio sanctorum Thymothei [apollinaris]

Natale sanctorum
martyrum timothei apollinaris. qui apud remensem
urbem consummato martyrio celestia regna meruerunt.
Temporibus neronis facta est persecutio christianis. lampadius preses au-
diens sanctum timotheum predicantem et docentem uerbum ueritatis
dei. iussit eum comprehendi a ministris suis et adduci ante tri-
bunal suum. Astante autem illo preses dixit. Audio timothee
te nouam legem hominibus predicantem quod homo crucifixus sit. aut
forsitan ignoras legum seueritatem a sanctissimis imperatoribus
prolatam. per quam iusserunt ut omnis homo qui non adorauerit imaginem io-
uis tormentis ac morti subdatur. Ergo immola diis et ego tri-
buam tibi diuitias multas. et a piissimo imperatore magnam pe-
cuniam accipies. Timotheus respondit. Diuitie tue tecum sint in perdi-
tionem et tu ibis cum ipsis in ignem eternum. Dominus meus ihesus christus filius dei
ipse te iudicaturus est. An nescis quod contigit simoni mago
demones colenti quos et tu colis. qualiter precipitauerunt eum bea-
tissimi apostoli petrus et paulus. ita ut eius capite fracta crepuerit.
Tunc preses ira repletus iussit eum torqueri. et dum torqueretur ait ad
eum preses. Ubi nunc furcifer adhuc perseueras in ista super-
flua uanitate. Per caput neronis iuro. quia hodie de te exigam

ultionem. An nescis quia data est michi potestas occidendi et 169
uiuificandi. Timotheus respondit. Per caput christi iuro. quia tibi potestas
non est uiuificandi. nisi forsitan occidendi. Quos uero putas oc-
cidere pro christi nomine. ipsi te penaliter iudicabunt. illi uero qui tibi con-
sentiunt mortui sunt. Tunc preses furore repletus ait ad eum.
Ergo tu iudicaturus es me. Ego te occidam. et quis est qui te
eripiat de manibus meis. Timotheus respondit. Deus meus
cui credo potest me liberare. tibi autem debitam penam
immittet. Preses dixit. Torqueatur iterum per supplicia mul-
ta. Sanctus uero timotheus respondit. Quanto autem tu michi ampliora tormenta
intuleris. tanto amplius refrigerium prestabit dominus cui
credo. Et cum cederetur a ministris. exclamauit uoce mag-
na dicens. Aspice domine et uide quanta mala infert diabolus
seruo tuo. ne me derelinquas. ne quando dicant gentes ubi est
deus tuus. Preses uero iussit calcem uiuam et acetum aspergi plagis
eius. Sanctus uero timotheus dixit. Ago tibi gratias domine ihesu christe qui michi das
tolerantiam ut hec possim sufferre. ita istud factum est in
corpore meo. tamquam oleo perunctus sim. Unus autem de credentibus
nomine apollinaris uidit duos angelos stantes ad latus eius
dicentes ei. Confortare timothee. missi enim sumus ad te
ut ostendamus tibi dominum christum pro cuius nomine sustines penas
ut uideas que aguntur in celis. Erige caput tuum et uide. Aspi-
ciens autem sanctus timotheus uidit celos apertos et ihesum sedentem ad
dexteram patris. coronam tenentem ex lapidibus preciosis. dicen-
temque sibi. Timothee hec quam uides corona tibi parata est. Acci-
pies autem illam tertia die de manibus meis. Et angeli dixerunt ei.
Confortare timothee. et abierunt in celum. Apollinaris uero
cum hec uidisset procidens ad pedes eius dixit. Domine timothee ora
pro me. Ego enim libentissime torqueor pro nomine christi ihesu. quia
uidi tecum loquentes uiros splendidissimos. Dum tecum lo-
querentur magnalia dei. uidi illos ingredientes in celum. Tunc
preses uidens se inferioribus esse confusum dixit. Sistatur apollinaris.
Afferte autem michi plumbum bulliens et effundite in os eius. ut
non talia uerba loquatur. Cumque allatum esset plumbum bulliens. et
missum fuisset in os eius. factum est frigidum quasi glacies. Uiso autem
hoc miraculo. multitudo magna credidit in nomine domini nostri
ihesu christi. Tunc preses iracundia plenus et confusione dixit. Ducite
illos in carcerem usque dum prouideatur quo supplicio interficiantur.